



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 303. Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos usque in hodiernum  
diem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

Ethnicis, nullius conscientia militibus, quibus quasi proprium est sperare & ambire pecunias, quam, ut acciperent pecunias à principibus oblatas cum affluerint etiam rapere ipsas & occultatas. O Deus! ô natura! quantum operantur malum homines mali per pecuniã, eheu! temporale & æternum sibi aliisque malum.

**O** Iesu paupertime, ô Iesu ditissime & liberalissime, longe obsecro sit à me per gratiam tuam ut ita amem pecunias ut velim propter eam minimum peccatum perpetrare, vel procurare: sed verè possim numerari in tet viros illos de quibus dicitur Beatus vir, qui non speravit in pecuniæ thesauris.

§. 303. *Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos usque in hodiernum diem.*

Scilicet verbum iniquum istud mendacij non surrexisse Christum, sed ablatum eius corpus fuisse è sepulchro per suos discipulos, & hoc mendacium diuulgatum tam per Principes populi & seniores, quam milites pecunia ad hoc emptos vbique & constanter apud gentiles & Iudæos, & primo quidè per magnam illam ciuitatem Hierosolymam vbi conuenerant omnis generis, & linguarum populi, deinde his medijs per Prouincias, oppida, pagos & castella, licet contrarium prædicarent Apostoli Iesu, affirmantes etiam cum periculo carceris, flagellationum, crucis, & vitæ, se se eum vidisse rediuiuum, comedisse & bibisse cum eo, & colloquutos multoties, postquam à mortuis resurrexerat, imo terigisse manibus, pedes osculatos, contractasse. Imo alios multos, quorum corpora è monumentis post Christi mortem surrexerunt, & venerunt in sanctam ciuitatem, & acclamauerunt, Christi resurrectionem quasi testes & præcones annuntiantes audisse ut qui eos suscitauit multo magis se ipsum suscitauerit. Et tamen contrarium apud Iudæos vsque in hodiernum diem creditur & sustinetur. Tantæ perfidiæ & tam duræ ceruicis effectus est hic populus Iudaicus per impiam & maledictam illorum principum persuasionem.

**D**eus meus & omnia da gratiam ut nunquam eo deueniam malitiæ ut contra veritatem doceam, vnde vel scandalum vel hæresis vel aliquod peccatum oriri possit, sed è contra in omnibus & per omnia mandata tua docendo obseruem ut fidei quam ex gratia tua semel accepi meritum nunquam amittam, sed in dies in me augeatur, Deus meus.

§. 304. *Verbum istud vsque in hodiernum diem.*

Potest hoc verbum etiam sic capi, ut sit sensus iste, Mendacium fuit quod Iudæorum primores confinxere, verum autem & verbum fuit resurrexisse Dominum, Ideoque, ut assolet veritas vincere mendacium, ita in